



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 39. Monialium Regimen a S. Ignatio suis interdictum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæcul. XVI.
A.C. 1546. præcepto Apostolico urgeret, enixe rogavit: suo autem Legato in mandatis dedit, ut hoc negotium ad exitum deducere totis viribus niteretur. Ignatius recepta literas ad Ferdinandum dedit, quibus acceptis Rex haud ultra Patrem Jaium sollicitabat, sed totam rem ad Pontificem referendam Legato suo commisit. Attamen Ignatius, ne progressu temporis ad ejusmodi dignitates alii adspirarent, exclusionem, cuius modo meminimus, petiit, eamque obtinuit.

§. XXXIX.

Monialium Regimen a S. Ignatio suis interdictum.

Ribad. l. 3. c. 14. p. 230. Bouhours vie de S. Ign. liv. 4. p. 292. Cum igitur S. Ignatius animum a cupiditate adeo alienum præferret, magnam sibi nominis sui existimationem conciliabat, unde non pauci, imo etiam fœminæ sese ejus obedientiæ submittere gestiebant, atque inter eas præcipue Isabella Rossela de Ignatio optime merita tanto illum visendi desiderio flagrabat, ut ex Hispaniis Romam delata sese illius prudentiæ regendam tradere omnino decerneret. Hujus propositi socias sibi elegerat duas nobiles Matronas patria Romanas, quæ una omnes iisdem Religionis votis, quæ Jesuitæ
nuncu-

nuncupant, sese obstringendi facultatem a summo Pontifice impetrarunt. Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
Primo quidem Ignatius haud obstitit, & quamvis ejusmodi curam Societatis suæ instituto valde alienam probe cognosceret, nihilominus nobili huic foeminae gratificari cupiens, harumque Religiosarum exiguum numerum considerans humeros supponere statuit: verum brevi eum suscepti laboris poenitentia subiit, professusque erat, quod trium muliercularum gubernatio illi plus molestiæ atque occupationis, quam totius Societatis regimen afferret; quippe nunquam colloquia cum eis abrumpi poterant, ac singulis ferme horis eorum quæstionibus satisfacere, animi anxietates tollere, eorum querelas excipere, & dissidia componere oportebat: Præterea Ignatius experientia didicit, quod ejusmodi personæ non modo ipsæ, quin tamen ad majorem animi quietem, raroque ad meliorem frugem reducantur, magnam temporis jacturam faciant, sed insuper illos, qui earum curam in se suscipiunt, ad longius tempus frustra conterendum impellant, hinc summum Pontificem adiit, rogans, ut ipsum, suamque Societatem ab hoc onere liberaret. Perceptis Ignatii rationibus Papa literas Apostolicas expediri jussit, vi quarum Jesuitæ in perpetuum a cura

Hist. Eccles. Tom. XXXIX. E Mo-

Sæcul. XVI. Monialium sub Societatis obedientia,
A.C. 1546. vel in communi, vel separatim vivere
 desiderantium eximebantur.

§. XL.

*Guilielmus Postelus Societatem ingres-
 sus, sed inde expulsus.*

*Orland. l. 5.
 n. 3. ad ann.
 1545.
 Bouhours l.
 c. l. 4. p. 260.
 Memoir. de
 Litterature
 de Selengre
 1715. tom. I.
 p. 22.* Anno priori millesimo quingentesimo
 quadragesimo quinto Ignatius suis
 quemdam aggregabat, quem tamen
 brevi dimittere cogebatur. Erat is Gui-
 lielmus Postelus die vigesima quinta
 Martii anno Domini millesimo quingen-
 tesimo decimo, juxta certiolem Scri-
 ptorum opinionem Barantonix, Abri-
 canæ Diocesis oppido in inferiori Nor-
 mannia ex paupere familia ortus: hic
 parentibus suis præmature orbatus re-
 licta patria sua nonnisi tredecim annos
 natus Sayam, quæ urbs est in Vexinen-
 si ditone prope Pontisaram sita, per-
 venit, ubi postea, licet ætate oppido
 juvenis esset, pueris tamen erudiendis
 operam dedit, collectisque pecuniis
 Parisios contendit, ut ibidem sua studia
 proficeretur: verum adversa usus for-
 tuna in quosdam latrones incidit, a
 quibus noctu, cum somno gravatus es-
 set, paucis nummis suis, omnibusque
 vestibus spoliatus fuit, adeo, ut ad ex-
 tremam inopiam redactum se cerne-
 ret,